



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Marcius Conf. 24. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

520 VITÆ S A N C T O R V M . 24. Octob.  
lier? Sed hem in quinquenni puerō Herculem  
Oetæum. Supplicat hic pro matre ad ignes dam-  
natâ; sed ubi ad perfidiam invitaris e videt, à rege  
non jam matris solum, sed suam etiam mortem  
orat, & lacrimis perorat, & blanditiis sœvientem  
morsu provocat tyrannum. Nihilominus servan-  
dus custodiam fallit, & ad matris sinum per ignes,  
cum illâ ex ignibus ad cælum volat. Ecce Roma-  
vetus, quæ ab omnibus sœculis exempla fortitudi-  
nis in omni sexu non mendicabis, omnia spectan-  
da uno die dedit virtus Christiana. Ex Metaphr.

*Quid Dei benignitati pro omnibus ejus muneribus  
rependemus? Nam si mille annos in terrâ viveremus, ne  
pro uno quidem colapho, nedum promorte, quâ pro nobis  
fœdissimâ fuit affectus, illi umquam ulla modo posset à  
nobis satisfieri. S. Ephrem in Confess. peccat.*

S. MARCIUS CONF. 24. Octobris.

**O**rbi Romano Justino juniore imperante, re-  
ctius sibi MARCIVS imperavit. Aula illi spe-  
lunca non procul Caleno in Campaniâ, quanto  
angustior tantò augustior fuit; pincerna verò pe-  
tra, quæ aquæ tantum, quantum sat erat, quot-  
diebus fida ministravit. Doluit dæmon malus, &  
veterem serpentis larvam indutus, sive oranti, sive  
cœnanti, sive quidquid demum aliud agéti accu-  
bare perstitit. Ille orcum vicissim ludos faciens,  
nunc pedem, nunc manum ultrò ori ita ingessit, ut  
tamen dentem malum figere hic minimè aude-  
ret; sed post triennium victum se fassus per alte-  
rum montis latus in præceps abiret, ambustis cir-  
cum circa omnibus, quâ volvebatur, arbustis. Sed  
ecce tibi pugnam, quâ dæmon ceciderat, prosti-  
tutæ frontis femina parat restituere. Quis credat?  
pericu-

24. Octob. VITÆ SANCTORVM. 521  
periculosius longè certamen hoc MARCIVS credere; non jam ludere, sed fugere, sed in faciem abjectus, nec oculo hostem audere aspicere. Cessit tamen etiam hæc, atque ne victam dubitares, mortua corruit. & subinde alii sanctiore consilio ad MARCIVM inviserunt; quos inter puerum memorant, fallente vestigio, in subjectam vallem innoxie lapsum. Quid? quòd saxum ingens spelæo imminēs, & à rupe suâ avulsum, saltu MARCIVM transiit: qui jam à principio catenæ, quæ modum ambulationi præscriberet, pedem alterum illigavit; monitus tamen à D. Benedicto amoris potius funiculis teneri vellet, catenam quidem posuit, cæterū longitudinem ejus numquam excessit, nisi cùm excedere denique mors felix jussit. Ex S. Greg. P.

Cum finis nostri dies advenerit, ubi nobis erit quod modo cum tantâ curâ queritur, & cum solicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiae querenda sunt, quæ dimituntur. Illa diligamus, quæ sine fine habebimus; illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur.  
S. Greg. l. 6. Regist.

### B. JOANNES ANGELUS CONF.

24. Octobris.

JOANNEM ANGELVM exhibeo, vel nomine suo debitum VIRGINI; cui nempe si immortales illi Angeli servire gaudent, quidni noster etiam? Atque hoc est, quòd Mediolani in liberâ nobiliq[ue] familiâ natus, annumerari tamen Florentiæ Servis MARIAE præoptârit. Ibi illum, ut scias quò vota sua miserit, abiisse inter preces in aëra ajunt, multaque alia fecisse, quæ posteri miramur. Sola castissimi interula innumeris parientibus auxilio velut